

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

deris asservata est: Ira & Seryator noster, ejus typus arca fœderis fuit, Rom. 3. v. 25. quandoque legem prædicavit, ut in specie exemplum habemus in prælecta Pericope, ubi Scribæ ad quæstionem de præcipuo mandato responderet, & utramque tabulam adeò artificiosè conjungit, ut idem non inveniatur in universa Scriptura, inquit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.

Nos instituti nostri memores considerabimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

DE Samfone legimus, quod hostes Philistiim ipsi multas insidias struxerint, dum funibus eum ligarunt, hæc opinione, ut illum caperent & perimerent: Verum Samson rupit vincula, quasi fila telarum, & elapsus est è manibus eorum, Jud. 16. v. 12.

Quod Samsoni accidit, idem & Christo, cujus typus Samson fuit, accidisse in Evangelio videmus. Pharisei & Scribæ hostes ejus insensibilissimi erant, varios laqueos ipsi tendentes, per varias easque insidiosas quæstiones, quibus ipsos obturare & auctoritatem ejus coràm populo infringere satagebant: Verùm vincula illa sapientia sua ita dirupit, ut capere ipsum ad eò non potuerint, ut ipse potius proprio illos gladio jugulaverit, & confuderit. Non enim est sapientia, non est consilium,

non est prudentia contra Dominum, Prov. 21. v. 30.

Querela respicit

I. *Hostium veritatis collusionem.* Pharisei & Sadducæi inter Judæos, duæ contrariæ sectæ erant, reciproca invidentia laborantes, ut videre est, Act. 23. v. 8. Verùm ubi Christum res concernit, altera alterius opprobrium vindicatum it. Audientes enim Pharisei, quod silentium imposuisset Sadducæis Christus, convenerunt in unum.

Id Diabolus semper in more habuit, Ammonitæ, Cananitæ, Hethitæ, Pheresitæ & Jebusitæ nunquam concordiam coluerunt inter se: at contra Israel conspirant, & omnem movent lapidem, quo Palestina excludantur, Jos. 9. v. 1. seqq.

Herodes & Pilatus odio dissidebant Vatiniano, verùm ubi Christus ultimo supplicio afficiendus erat, in gratiam redibant, Luc. 23. v. 12.

Ariani & Meletiani principid inter se dissidebant: at animadvertentes Christianam religionem incrementa capere, Syncretismum inibant, & Athanasio orthodoxo ejusque asseclis se opponebant.

Quis nescit in Papatu inter Monachos similitates gliscere, ubi penè singuli Ordines Jesuitas odio prosequuntur: at contra Ecclesiam Evangelicam conspirant, ut in velabro olearii, plenis buccis clamantes: Destruite, destruite, usque ad fundamentum, Psal. 137. v. 7.

En maledictam hanc conjunctionem! trahunt iniquitatem in funibus vanitatis, & quasi funibus plaustrum peccatum, Esa. 5. v. 18. Psal. 56. v. 7. 8.

Veti Christiani tempori inserviant, & quia hostes ad malum faciendum coherere

rere sentiunt: ipsi potius in amore & amicitia concordant, ita ut una anima sint, & unus Spiritus, pro fide Evangelii decertantes, Phil. 1. v. 27.

Maximè verò quasi manu facta in oratione consentiant, unanimi voce preces cantantes:

Erhalt uns Herr bey deine Wort/
Und steur des Pabsts und Tureken
Wort &c.

Talis oratio non frustranea erit. Funiculus enim triplex difficilè rumpitur, Eccles. 4. v. 12. Contrà verò ubi se invicem mordent & comedunt: certissimus sequitur interitus, Gal. 5. v. 15.

II. Vanam pietatis persuasionem, quæ reperitur in Scribâ prælecti Evangelii, qui instinctu Collegarum suorum cum Christo in arenam descendit, materiam desumens à Lege Moysi, quam ipse & sui similes profitebantur, Christum etenim rejiciebant, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. v. 14. Legem verò in alienum sensum detorquebant, ut meritò Christus objiciat ipsis, quod mandatum Dei transgressi sint propter traditionem suam, Matth. 15. v. 3.

Ejusmodi hypocritarum passim multi reperiuntur, ut exemplum in Pontificiis habemus, qui peculiarem sanctitatem prætendunt, & de observatione mandatorum Dei gloriantur: sin verò rem ad amussim exigas, ne digitulo quidem illa attingunt: sed traditionibus humanis occupati sunt, quibus frustrà Deus colitur, Matth. 15. v. 9.

Invocant sanctos demortuos: vivos vero persequuntur, & quando Christianum

occidunt, putant se cultum præstare Deo, Joh. 16. v. 2.

Tempore quadragesimali & diebus Veneris carnibus abstinent: interea carnalibus desideriis indulgent, quæ militant adversus animam, 1. Petr. 2. v. 11.

Adorant Sacramentum, quod tamen turpissimè mutilant, dum laicos calicis usui privant, quem Christus ipsis concessit, Matth. 26. v. 28.

Osculantur sacram Scripturam & Biblia, quæ tamen in rebus fidei rejiciunt, prætendentes, esse imperfectam, nimis obscuram, materiam litis, & quæ epithetalia plura sunt, quibus autoritatem ejus labefactatum erunt. Quia enim illam dogmatibus suis fictis minus favere animadvertunt, Concilia & Patres ipsi præferunt, licet Christus ipse commendet eas nobis: Scripturas scrutamini, Johan. 5. v. 39.

Venerantur B. Virginem Mariam, eamque divino cultu afficiunt: Filium vero ejus, cui divina gloria & cultus debetur, ignominia afficiunt, dum ipsum debito honore defraudant, qui ipsi datus, Matth. 23. v. 18.

Idem igitur illi faciunt, quod Legis peritus in hodierna Pericope, qui de præcipuo mandato quærit in Lege: & minimum nondum attingit, nedum impleverit, quod Christus vocat: Culices collare, & deglutire camelos, Matth. 23. v. 24.

In vitâ communi idem accidit, ubi hypocritarum plurimi occurrunt, qui putant se magistros esse, & indigent, ut doceantur, quæ sint elementa exordii

sermonum Dei, Hebr. 5. v. 12. Proinde veri Christiani sicut modò geniti infantes rationabiles & sine dolo lac concupiscant, 1. Petr. 2. v. 2. non solidum cibum, dum pro consuetudine exercitaros habeant sensus, ad discretionem boni & mali, Hebr. 5. v. ult. Sapientes enim & prudentes postponuntur, Matth. 11. v. 25. sed ex ore infantium & lactentium perfecit sibi Deus robur, Psal. 8. v. 3.

III. *Frequentissimam Sadduceismi professionem.* Plures enim adhuc hodiè se offerunt inter Christianos, qui neque Angelos, neque Diabolos, neque mortuorum resurrectionem, neque vitam æternam credunt; hæc enim fuit Sadducæorum religio, Matth. 22. v. 23. Act. 23. v. 8. Hæc in parte cum gentilibus faciebant, qui & ipsi in hæc impietate degebant, & cum Paulus Athenis de hoc articulo verba faceret, malè contenti cum ipso, dicebant: Quid vult seminator verborum hic dicere? Act. 17. v. 18. Catullus hinc ad Lesbiam suam scripsit:

Soles occidere & redire possunt.

Nobis cum semel occidit brevis lux

Nox est perpetuò una dormienda.

Annon censetis, Christianorum, quid? Epicureorum hodiè plurimos inveniri, dicentium: Fortuitò nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus, Sap. 2. v. 2. seqq.

Utique non pauci sunt, qui Sadducæismum impiè profitentur, si non verbis, tamen operibus. Quod omnes illi faciunt, qui peccatis contrà conscientiam indulgent. Hi licet templum frequentent, confessione & sacrâ synaxi utantur, attamen omnia frustra fiunt, sed sermo quem audie-

runt, & non fecerunt, ille judicabit eos die novissimo, Joh. 12. v. 48. edunt & bibunt sibi corpus & sanguinem Domini in iudicium, 1. Cor. 11. v. 27. quin seipsum excommunicant, & ostendunt vita sua profana, quod non pertineant in Regnum Christi, sed synagogam Satanæ, Apoc. 3. v. 9. dabuntque aliquando pœnas, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

De Secundo.

*S*equitur *Medela*, quæ fuit

I. *Ex promptâ Christi responsione.* Est enim Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat, Job. 5. v. 13.

Ideò hîc sapientiam suam ostendit *bisariam*, primò velamen removens à facie Moïsis, 2. Cor. 3. v. 13. dum purgat legem, ut Malachias de eo prædixerat, Mal. 3. v. 3. Deinde textum desumit ex Evangelio, de persona & officio suo. Sic verus Catecheta fit, è thesauro suo vetera & nova proferens, Matth. 13. v. 52. & totam sacram Scripturam in duabus quasi paginis proponit. *Prima ostendit nobis officium nostrum*, quod Deo & proximo debemus. *Alterâ* indicat, quomodo à debito liberemur, nempe beneficio sanctissimi meriti, quod tanquam filius Davidis pro totius mundi peccatis præstitit, 1. Joh. 2. v. 2.

Nos semper ad Doctorem hunc confugiamus, maxime in rebus fidei eum consulentes. Viam enim Dei in veritate docet, Matth. 22. v. 16. & talis est Dominus, cui impossibile est mentiri, Heb. 6. v. 18.

Sæpè